

7

D E
SCHOLIS PROPHETARUM
PROBABILIA

QUAE

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. IMP, UNIV. ALEXANDR.

P. P.

MAG. ROBERTUS VALENTINUS FROSTERUS,
THEOL. LICENTIATUS ATQUE DOCENS,

ET

FREDRICUS WILHELMUS HIMBERG.

STIPEND. ARCHENH. ABOENSIS.

In Atrio S. V. Consistorii Eccles. Majori die XIV Junii MDCCCXXVIII.

h. p. m. s.

P. III.

ABOÆ.

TYPIS FRENCKELLIANIS.

enixe adeo commendarent, suam de his rebus curam non ulterius extendisse, cetera sc. adnucula, quibus ad optatam metam et tutius et citius perveniri posset, negligendo. Quæ cum ita sint et cum nihil fere ad futuram generis humani aut salutem aut ruinam plus conferat quam juventutis vel sana vel perversa educatio, cumque ex II Sam. XII: 25. pateat a Davide filium ejus Salomonem Prophetæ Nathani traditum fuisse educandum (in eorum vero, ut quidem videtur, numerum, qui scholis propheticis adscripti erant, non recipiendum), non est dubium, quin ceteri etiam in gente Hebræa parentes haud pauci, Prophetarum quendam ad eos instituendos vocaverint et erudiendos, quos in scholas mittere justa quæcunque causa prohiberet. Exemplum enim sic dedit Rex Deo carissimus, effectumque hujus saluberrimum testatum fecit Rex sapientia inclytissimus. Hoc cene vero regium exemplum effectu caruisse putandum est? Equidem non arbitror, et eo quidem minus probabile hoc duco, quo magis constat gentem Israëliticam propensam valde in litteras litterarumque cultores indicasse voluntatem. His enim si non favissent, nec disciplinarum, quibus imbui oportuit scholarum alumnos, gravitas, nec utilitatis magnitudo magnum adeo hominum numerum ad suscipiendum discendi laborem impulisset. Ad Prophetarum enim collegia magnum adeo studiosorum numerum disciplinæ causa concurrisse constat, ut I Sam. X: 10. et

XIX: 19. non unius alteriusve hominis, sed cætervæ potius coetusque Prophetarum carmina sacra canentium fiat mentio; ut Hierichuntina schola subministrare valuerit quinquaginta viros lectos de filiis Prophetarum ad inquirendum Eliam terris exentum (II Reg. II: 17.); ut Gilgalitica schola centum virorum numero conspicua fuisse tradatur (II Reg. IV: 38, 43), et II Reg. VI: 1. narretur tantam ibi fuisse discipulorum multitudinem, ut loci angustia illos omnes non caperet; utquæ demum Obadias sub imperio Regis Achabi, cujus sc. Regina Isabel Jovæ Prophetas persequebatur, centum Prophetas, quinquagenos in quaque spelunca abscondidisse memoretur (I Reg. XVIII: 4). -- Non est vero dubium quin interdum ex seminariis Prophetarum, nemine quamvis provocante, ii emitterentur scholarum alumni, qui ad populum docendum maxime habiti essent idonei, quique, ea omnia contemnentes impedimenta vitæque pericula, quæ ipsis a pessimis quibuscumque non raro intenderentur, fortiter et impavide, quæ didicissent meliora, promulgarent. Robur huic rei addere videtur inceptum illud, cujus II Chron. LVII: 7 sqq. mentio fit, Regis Josaphati laudatissimum, Sacerdotes sc. et Levitas, qui populum legem Dei docerent, emittendi. Quoniam ut novum quid et inauditum hoc non describitur inceptum, non esse videtur improbabile scholarum propheticarum morem hac in re imitatum esse immortalis nominis Regem.

Nam nec voluntatis, ob negotiorum multitudinem, inclinatio, nec commune ordinis emolumentum, Sacerdotes ad hoc efficiendum impellere potuit 28). Atque haud scio, an hujus generis scholarum sæpe laudatarum emissarii fuerint Prophetarum plurimi, de cultu Jovæ meritissimi, qui diversis temporibus et locis reipublicæ salutem suis monitis atque consiliis non raro confirmarunt. — Attamen amplissima ipsis absque dubio data fuit docendi occasio in publicis illis festis, ad quæ celebranda confertim convenire oportuit gentem Israëliticam. Ubi enim melius efficaciusve suas cum populo communicare potuerunt ideas divinæ veritatis præcones, sanioemque de Deo rebusque divinis divulgare cognitionem? Sic etiam Prophetarum tandem

28) Quo enim rudior esset populus, eo crassiores de sacrificiorum usu et præstantia sibi fingeret notiones, necesse est, et eo majora ad sacerdotalem ordinem inde redundare oportebat commoda. Adeo igitur fuerunt Prophetarum querelæ de Sacerdotum agendi vivendique ratione et communes et justæ, ut quo minus ad Sacerdotum Levitarumque officium hoc pertineret ut religionis essent doctores et reformatores, eo magis mirum sit tot suo tempore ex hoc ordine reperisse Josaphatum viros ad docendi munus obeundum aptos et ad ordinis sui hac ratione minuenda vectigalia pronos. Prophetarum vero cum esset, omni animi impetu in docendi incumbere munus, nonne assumere licet, hos a Rege emissos viros ex Prophetarum exiisse scholis, sanioemque, qua imbuti essent, cognitionem illis debuisse acceptam? Quod vero Sacerdotes et Levitæ fuerunt horum plurimi, nihil contra rem. Omnibus enim, ut est antea dictum, aditus ad has patuit scholas.

longe maximo, Salvatori sanctissimo, visum fuit ad istiusmodi festa et in Synagogis, locis illis notissimis, in quibus conventus publicos celebrabant Judæi, coelestis veritatis ditissimos aperire fontes (Luc. II: 46).

§. 3.

Instituentibus jam nobis de externa Scholarum propheticarum agere forma, illud sua quasi sponte semet nobis offert observandum, si vel nulla adessent in Sacro veteris Testamenti Codice effata, quibus id ulterius posset probari, sine gubernatoribus, qui cura et prudentia discipulorum moderarentur studia et exercitationes, hæc constare non potuisse collegia. Confirmat vero hanc rem eorum temporum, quibus illa floruerunt, historia argumentis sat validis, docetque simul gubernandi hocce munere eos fuisse functos, qui cum eruditione tum pietate suo tempore præ ceteris inclaruissent. Sic igitur Samuel gravissimum hocce administravit munus, iis scholarum alumniis præsidens, qui Ramæ literis studuerunt (I Sam. XIX: 20); sic itidem Elisa eadem gubernatoris officia et munera in Gilgalitica exsecutus fuit schola (II Reg. IV: 38. VI: 1.). Quoniam autem Eliam vocari videmus dominum Elisæ (II Reg. II: 3, 5.), quem is unxerat Prophetam futurumque sibi successorem (I Reg. XIX: 16 sqq.), sine dubio etiam is eodem functus fuerat munere, quo postea constat
 insi-

insignitum fuisse Elisam. Cum vero hic Elias non tantum scholæ Gilgaliticæ gesserit curam, sed ut videtur Hierichuntinæ etiam atque Bethelicæ 29), non est improbable laudatos jam sapius viros, Samuelem, Eliam et Elisam (de ceteris enim scholarum Præsulibus altum est silentium), omnium et singularum, quæ eorum tempore florebant, scholarum *generalem* gessisse curam, *specialem* vero uniuscujusque aliis quibusdam nomine quamvis jam ignotis demandatam fuisse gubernationem.

Ex eo vero quod Elias Elisam unxerat Prophetam sibi sussesurum (I Reg. XIX: 16 sqq.), conjici porro posse videtur successoris designandi jus fuisse in antecessoris potestate situm. Sed quemadmodum olim Josua primo fuit Mosis minister (Num. XI: 28.), dein vero in summa regiminis dignitate successor (Num. XXVII: 16 sqq.), ita etiam designato scholarum Præsuli, quo melius ad omne officii munus instrueretur, hoc putandum est incubuisse, ut magistrum perpetuo comitaretur, atque tum demum, cum hic negotiis insenuisset seque ab iisdem removisset, vacuum sic locum occuparet. Sic igitur Elisam Eliæ constat egisse ministerium (I Reg. XIX: 21.), Elisæ vero comitem atque ministrum (*Naar*) fuisse Gehasum (II Reg. IV: 12.). Val-

29) Concludi id potest saltem probabiliter ex eo, quod mox exiturus e vita, ultimum temporis his scholis impendit visitandis (II Reg. II: 1 sqq.).

de enim est probabile Gehasum huncce, nisi honoris augmento per factum illud illicitum et turpe, quod II Reg. V: 20 sqq. de eo narratur, indignum sese reddidisset, muneri Elisæ ordine successurum fuisse, quemadmodum Elisa in vices successerat Eliæ 30) Quæ igitur cum ita sint, non esse videtur a veritate alienum, ministris hisce atque comitibus Præsulum perpetuis, secretiora mandata fuisse negotia, quorum ceteri alumni nondum habiti essent capaces, sublimesque illa et esoterica, si ita dicere liceat, a cana inde antiquitate Prophetici ordinis cura propagata religionis capita commissa, sancte scilicet servanda sapienterque, si quando res ferret, ab hisce propioris admissionis discipulis, dum scholis tandem ipsi præessent, promulganda. Quin immo colloquium illud ultimum inter Eliam et Elisam habitum, de quo II Reg. II: 9—11. mentio est instituta, in his rebus tradendis versatum fuisse, credere haud erit nefas.

Utrum vero certum quendam et definitum annorum numerum eos complevisse oportuerit, quæm

30) Non sumus nescii quosdam statuisse aliquam inter Prophetarum discipulos fuisse distinctionem, rudiores scilicet dictos fuisse *Nearim* (pueros), provectiores vero *Bne Nebim* (filios Prophetarum). Quod eorum si verum esset assertum, omnis nostra rueret hypothesis. Sed vero in diversa hac denominatione nullum revera latet discrimen. Qui enim ab Elisa mittitur ut Jehu regem Israël is ungeret (II Reg. IX), versu primo appellatur *Unus ex filiis Prophetarum*, versu vero quarto *Puer Prophetæ*.

propheticorum istorum discipulorum coetum possent recipi, an cuicumque ætati hoc concessum fuerit, erui nullo Scripturæ S. testimonio potest. Neque enim inde, quod quoties Prophetarum memorantur discipuli, ita de iis deseritur, ut ad maturiorem hos jam pervenisse ætatem haud sit dubium, concludere licet minores natu ab alumnorum istorum societate fuisse exclusos. Silentur sane juniores istiusmodi tirones; verum minores ut natu ita studiis quoque et fama, immo in ipsis adhuc hærentes rudimentis, vix unquam dignam præbere poterunt commemorandorum sui materiam.

Pariter quoque dubium manet, quamdiu in studiis ii detinerentur, qui scholis essent adscripti. Interea tamen cum studiorum cultum liberum esse deceat, credimus nec totum vitæ tempus in schola terendum fuisse ulli, nec certum quendam manendi terminum præfixum, sed hunc vel ex libera cujusvis pependisse voluntate, vel ex diligentiae modo profectuumque incrementis.

Ædes quasdam, alumnorum, quibus Samuel præerat, exercitiis fuisse assignatas Ramæ, conjunctimque ejus in illis habitasse discipulos, ex I Sam. XIX: 18, 19. videre licet; pariter ex II Reg. IV. 38. VI: 1, 2. palam fit, eos quoque scholarum alumnos, qui Elisæ uterentur institutione, certa habuisse tuguria, in quibus una habitarunt litterasque colere siveverunt. Quoni-

am vero in antiquorum temporum more et ingenio positum non fuit, litterarum studia publico quodam civitatis sumtu juvare, credere fas est, non publica sed privata docentium discentiumque cura ædes has studiis colendis fuisse erectas. Hæc res confirmari videtur eo, quod ædibus illis amplificandis, in quibus angustia pressi Elisæ habitassent discipuli, ipsi hi sapientiæ cultores operam navarent (II Reg. VI: 2 sqq.).

Ad alendos vero et sustinendos tam Antistites scholarum quam alumnos, ea contulisse videntur munera, quæ ipsis, dum consulerentur, adirentur, aut advocarentur, offerre moris erat (I Sam. IX: 7, 8. I Reg. XIV: 3. II Reg. V: 15 sqq. cett.). Vulgatissimus enim erat Hebræorum, ut Orientalium ferè omnium, mos, coram honoratis vel altiori loco constitutis nunquam comparere, nisi ad eos aditum sibi antea munivissent, oblatisque muneribus benevolentiam eorum captassent 31). Injuriosi igitur in Prophetas Prophetarumque discipulos ii sunt habendi, qui, quod munera hæc ipsis offerrentur, quæ didicissent meliora non nisi mercedula adductos communicare siveisse, arguant.

Quæritur autem utrum Prophetarum discipuli, quum litterariis se dedissent occupationibus,

31) Hunc morem adhuc in omni Asia servari, Celeb. ROSENMÜLLER L. c., ad I Mos. XXXIII 8, 9, 10. (Erst. B. p. 165), et I Sam. IX: 7. (Dr. B. p. 82 sqq.) allatis exemplis copiose docet.

a re civili et negotiis vel opificiis abhorrent, an vero simul ob victum et cultum operam illis impenderent. Sed quod erant apud veteres omnes omnino rarissimi deprehensi, qui ad artium scientiarumque studium adeo se contulissent totos, ut, ipsis tractandis delectati, nihil præterea agendum susciperent, vere nobis hoc videtur esse dicturi eandem prophetorum alumnorum fuisse rationem.

Dictum jam est in antecedentibus, ad divulgandam culturam directum magnam partem fuisse prophetorum collegiorum scopum. Quod quamvis ita fuisse concedendum est, quæritur tamen num quovis tempore cuicumque licuerit hæc adire collegia eorumque consulere membra. E quæstione mariti Sunamitidis uxori ob inopinatam filii expirationem iter ad Prophetam Elisam paranti, proposita, "cur hodie Prophetam vellet convenire cum neque novilunium neque sabbathum esset" (II Reg. IV: 23), concludendum videtur, ex præscripto saltem non nisi statis et forsitan ipsis his a marito nominatis temporibus id fuisse concessum. Sacrificale illud epulum, quod peragebatur cum Saul Samuelem consulendi causa adiret (I Sam. IX: 12, 13.), robur huic rei quadamtenus addere videtur. Utrumque enim festum, tam novilunium quam sabbathum, eundem in morem celebrare solitum fuit. Improbabile igitur non est, ceteros dies omnes discipulorum, qui ad litterarias has Pro-

phetarum officinas continue affluerent, studiis exercitiisque moderandis fuisse destinatos, hos vero in eorum usum constitutos, qui, quamquam non ordinarii essent scholarum istarum discipuli, discendi tamen studio incitati, Prophetarum collegiis aliquando saltem et subinde interesse cuperent 32). Hac enim via fit explicatu facillimum, qui factum sit ut David, dum adolescens pastoritiam in paterno agro adhuc ageret vitam, tam insigni animi cultura excelleret, præstansque adeo esset citharoedus, ut ejus par in omni populo deprehenderetur nemo, dignusque igitur haberetur, qui communi aulicorum consensu, ad tristitiam insanientis Sauli discutiendam vocaretur (I Sam. XVI: 16 sqq.) 33).

Dedit I Sam. XIX: 18. nonnullis quærendi occasionem, an Prophetarum scholæ vel ædiculæ asyloꝝ sibi concessa habuerint privilegia, cum sc. ratio, ut dicunt, probabilis, cur Samuel Davidem non potius in suis ædibus, quas

32) Confer. CAMPEG. VITRINGA l. c. Lib. I. Pars 2. Cap. 6. p. 333. ROSENMÜLLER l. c. Dr. B. p. 222.

33) Eine solche ausgezeichnete Bildung des Geistes (qualis in Davide fuit conspicua) muss zwar auf natürliche Anlagen sich gründen, aber sie würde ohne Unterricht schwerlich erreicht werden. Nun war damals kein andres Institut, worinnen man in Musik, Gesang, heiliger Dichtkunst und Religion unterwiesen wurde als die Prophetenschulen, welche Samuel dirigitte. Es ist deswegen sehr wahrscheinlich, das David in einer derselben gebildet worden ist —. BAUER l. c. Zw. Th. p. 136 sq.

Ramæ habebat, quam in Prophetarum tuguriis exceperit, alioqui non appareat. Nulla quidem nobis adsunt testimonia quibus ostendi possit hujus generis jus lege quadam ipsis impertitum fuisse. Interea tamen in rei natura positum fuit, habitationes hasce, in quibus quippe sapientiæ studiosi, sub moderatibus fama et pietate celeberrimis Prophetis, quibus propius cum Deo commercium concesserat antiquitas, confertim convenerunt suaque coluerunt studia, reverentiæ quasi nebula circumfusas ideoque asyloꝝ instar habitas fuisse, in quorum adyta intrare nemo, nisi initiatus aut intrandi venia munitus, auderet.

Notum est Hieronymum filios Prophetarum cum sui ævi contendisse Monachis, nonnullosque, ejus fere prementes vestigia, horum originem in Prophetarum scholis invenisse sibi fuisse visos 34). Neque negari potest, ingenium gentis Mosaicæ, asperitatem puta et rigorem, in omni ejus agendi ratione conspicuam, ad ascensum quamdam tristem, afflictiones corporis et s. p. fuisse pronam, gentemque hanc quadamtenus abhorruisse a vita actiuosa et strenua, ad Coenobitarum vero iners desidiosumque vitæ genus inclinasse. Quod quamvis ita sit, hanc tamen gentis propriam indolem nulla fuisse au-

34) Confer. CARPZOV *Appar. Hist. Criticus Antiq. S. Codicis et gentis Hebr. De Prophetis p. 123.*

ctoritate in Prophetarum scholis, docent ipsorum Prophetarum monita contra hanc rem infinita, docet in primis elegantissimum illud Prophetæ Esaiæ effatum: Num tale jejunium mihi probabitur, si quis se ipse affligat, aut incedat capite uti juncus incurvo, aut centone amictus in cinere sedeat? Num hæc dies supplicationum dici merebitur? dies quæ mihi placeat? Nonne sic potius jejunium, quod acceptum mihi erit, instituendum est, ut vincula solvatis, quæ alios injuste constringunt: ut laxetis lora jugi, ut liberos dimittatis oppressos et rumpatis juga aliorum e. s. p. (Jes. LVIII: 5 sqq.). Ratio vero quæ Hieronymum ad istam instituendam comparisonem impulit, in dura illa ac inopi vita præcipue est quærenda, quam Prophetarum discipulos egisse eo ex capite persuasum sibi habuit, quod mulier cujusdam discipulorum Elisam implorasset eique demonstrasset, mortuo marito suo, creditorem velle ambos defuncti filios in servitutem abducere (II Reg. IV: 1.). Quoniam vero ex iis, quæ de antiquorum temporum in promovendis litterarum studiis diximus ingenio, sponte sequitur, scholarum tam Præsules quam alumnos privato vixisse sumtu, et uniuscujusque igitur vivendi rationem ex privatis potissimam partem pependisse opibus, non fugiet quemquam, lubricam omnino etiam ex hac parte esse istam comparandi rationem. Et præterea quot aliæ causæ ad miseram hanc superstitem conditionem conferre, et sane